

Kreis
Steinfurt

S 195

1280 (1279) März 15 Laer.

[90
195

Ritter Heinrich von Detten überträgt der Kommende Steinfurt die Hufe Wisinge zu Laer in Erbpacht.

Henricus miles de Detten omnibus presentes litteras inspecturis salutem et cognoscere veritatem. Cum questio fuerit inter nos et fratres sancti Johannis in Stenvorde de agris abstractis de mansu nostro Witzinc siti (!) in parrochia Lare per concambium minus discrete factum, ut diximus, a Wilhelmo de Lare bone memorie, fratribus dictis asserentibus, agros esse suos et eos emisse contra dominum Giselbertum de Bissendorpe pro xiiii^{or} marcis de quodam mansu nostro adiacente, qui solvebat ei unum [molt] albe pise; ad cognoscendam huius rei veritatem accessimus inter vicinos et notos et diligenter inquisitione facta invenimus ita esse. Nos igitur invenientes mansum nostrum sic dissipatum et in tantum, quod vix decima inde poterit haberi, ex consensu Beatricis uxoris nostre et accedente voluntate et consensu Otberti sculteti curie nostre sui que filii Arnoldi et litonum, qui vulgariter higene dicuntur, contulimus dictum mansum cum suis attinentiis predictis fratribus in pensionem annuallem unius libre cere dande singulis annis in curiam nostram Detthen in die Palmarum iure perpetuo possidendum. Ut hec rata et firma permanent, accessimus Lare cum filio Bertoldo sororis nostre et Otberto sculteto nostro, Arnolde filio suo suprascripto et Johanne et Hinrico litonibus nostris ibique resignavimus et contulimus magistro et fratribus quidquid iuris in dicto mansu hactenus habuimus vel in posterum habere potuimus. Actum et datum Lare anno Domini M^occ^olxx nono, ydus Marcii, presidente iudicio Wichboldo et assidente sibi Johanne Crosen gogravio, presentibus fratre Luberto magistro, Bernharde sacerdote, Johanne, fratribus sancti Johannis; domino Thetmaro de Havekesbeke, domino Roberto de Lare ecclesiarum sacerdotum (!); domino Thiderico milite de Schonbeke; Wernero Magno, Hinrico sculteto Rolevinck, Rodolpho Beregerinck, Adolpho Wullinck et aliis pluribus fide dignis. In cuius rei testimonium presentem litteram duximus sigillandam cum appensione sigillorum sacerdotum predictorum. Ego Robertus plebanus de Lare sigillo fratrum Kalendarum usus sum.

Scopia im Kopiar B fol. 73; danach Regest Riefert, V. S. 60, Nr. 11.